









166.

1. Erhart, Johannes Nicolaus: De criminibus majestatis  
dominici.
2. Holybrinck, Arnoldus C: De matris jure.
3. Jacobi, Theodorus: De empthyteusi et lacu deuro.
4. Musckmann, Othlo: De blasphemiae crimine  
ejusque poenis.
5. Neffen, Arnoldus Christophorus: De inventario.
6. Remo, Joh. Tachianus: De differentiis nonnullis  
inter jus civile Justinianicum et statuta moresque  
Argentino-Laurium.
7. Reusmerus, Johann Jacobus: De apochis vulgo  
Anstänigen.
8. Rudolphus, Georgius: De jure infantum.
9. Schallerus, Jacobus: De comitiis.
10. Schall, Antonius: De denunciazione litis.



1661.

11. Geisler, Johann Caspar: De obligatione accessoria

1662.

1. Appold, Johannes Georgius: De sponsionibus. Von Wettingen

2. Boederus, Dr. Mauricus: De mensura pretii.

3. Bruning, Georgius: De conditione in debiti

4. Canon, Simbertus: De electione

5. Deckherus, Fredericus: De rebus merae facultatis

6. Deckherus, Fredericus: 5<sup>te</sup> 11<sup>te</sup> 14<sup>te</sup> 15<sup>te</sup> quaestionum de jure

senectutis

7. Deckherus, Fredericus: De piscatione.

8. Deckherus, Fredericus: De conditione uxorum.

9. Haussmann, Ludovicus Philippus: De certificatione Senatus.  
consulti Vellejani.

10. Heintz, Johann Philippus: De retentionis jure.

11. Haess, Johann Conradus: Privatio Falcidia



162.

12. König, Johannes Wernherus: De differentiis utriusque  
sensus in iure.
13. Paech, Johannes Ludovicus: De poena invasorum.  
ad l. 7 C. unde vi.
14. Rehn, Johannes: De auctoritate glossarum earumque  
principio.
15. Rehn, Johannes: Πάσα δὲ τὸ ἄσυνθετὸν Meieriana sive  
selectae quaestiones Justinianae. Decad. IV.
16. Rehn, Johannes: De iure dotium.
17. Sachse, Joh. Melchior: De honorariis adscatorum.
18. Schyffus, Johannes Albertus: Problemata quaedam  
anatomica.
19. Weirmanus, Iustus: De singulari in fures adis



14. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.





















8.

Quod ratum velit, faustumque jubeat,

DEVS OPT. MAX.

221V

DE

MATRIO IVRE,

THESES IN AVGVRALES

1661, 2

Quas

EX DECRETO, ET AVTHORITATE

MAGNIFICI, NOBILISSIMI,  
AMPLISSIMI

Collegii Iuridici Argentoratensis.

pro

CONSEQVENDIS IN VTROQVE,

ET CAESAREO, ET PONTIFICIO IVRE

PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS

placide disquisitioni submittit

ARNOLDVS C. HOLTZBRINCK,

è Marcô Westphalis Altenanus.

Die 9 Mens. May



ARGENTORATI,

Typis expressit ANTONIVS HAVG,

ANNO M DC LXI,



924

6.





I. N. D.  
Præloquium.

**S**I de me credi postulaverim, quod in extrema sua historia Flavius Vopiscus notat: *Sic voluisse scribere, meliusque potuisse*: nunquam frustra fuerim apud omnes eos, quotquot supra vulgus sapiunt, quibusque studiorum meorum fidem feci, & quibus tandem eam insuper facere gestit animus. Nihilofecius tamen, ut cruda quædam, ac malè sana scævorum hominum judicia effugere potuerim, vetuit rerum humanarum cursus: Nam cum quæ peregrè agenti de erant librorum subsidia, mihi à laudato nunquam satis Facultatis Juridicæ Seniore Domino D. REBHAN offerrentur, egoque iis, ut res fieret eò comitior, uti cupe-rem, fuit non nemo, quisquis is est, intestabilis momus, qui hoc falsum in sensum detorquebat, mihi que à Magnifico Juris Consultorum ordine remissam Disputationem mentiebatur: Intestabilis inquam quotus quisquidemum is est, quem ego nunc patior suo abundare sensu, cum nunquam adeo procax, aut suffenus fuerim, ut crediderim hanc meam opellam communi isto exemptam fore. Stringo cum interea Horatii versibus *Serm. Lib. 3. Sat. 3.*

Testes ego habeo eos, qui Cathedram hanc ascendendi fecerunt potestatem; Testes habeo omnes, quibus sanum iudicium cordi est; Testis est calumniantium vindex Deus O. M. in Cujus nomine ego ut prima matrix Disputationis habet, omnia nunc propono, & ab ea ne transversum quidem unguem deflecto,





Theſ. 1.



Uandoquidem ob summam ſexus inbecillitatem ipſa L. Naturæ ſceminam mari ſubjecerit, mirum ſanè non eſt diverſum etiam eſſe parentum in liberos imperium: viro mulier, utrique horum, mutatis quamlibet per generationem in patrem, & matrem nominibus, ſubjacent liberi.

2. Pater ipſa naturà imperat liberis, quemadmodum Rex ſubditis, mater imperat quidem, ſed ad nutum principis patriæ majestatis. Pater familiæ caput: Mater familiæ finis eſt, ſed ſimulatque maritali affectione adſcita eſt in perpetuum vitæ conſortium, cum omnibus mariti honoribus in nova ejuſdem familia & poteſtate eſſe incipit, eaque ratione familiæ caput, illius ſcilicet, in quam nubendo tranſit, reſpectu liberorum rectè dicitur, quamvis non in eadem, qua pater excellentia.

3. Mulieris conditio regulariter eſt inferior, & deterior quam maſculi; eſt & in Romanorum LL. matris conditio deterior quam patris, in iis vel maximè, quæ jure P. Poteſt. ſoli patri conceſſa ſunt, nec in iis tantum, ſed & in aliis juris articulis; deterior inquam, ſed & certo reſpectu tamen melior.

4. Nam cum non raro in LL. noſtris ita comparatum eſſe videamus, ut eadem jura ſpecialia, quæ conditionem eius, in quem collata ſunt, meliorem faciunt, hæc eadem requirant aliqua ab hoc viciffim, quæ cum non requirantur ab eo qui ſpecialis iſtius juris non eſt particeps, faciunt illius conditionem deterioſam, huius econtra meliorem, ſed quæ tamen ratione maioris utilitatis, quam vigore ſui privilegii in antecellum conſequi-



sequitur privilegiatus, melior vix dici mereatur; ita etiam evenit, ut cum patria illa potestas habeat quædam sibi consequentia, quæ in matris personam non cadant, hoc ipso vigore juris communis matri quædam liceant, quæ propter impedimentum P. P. patri concessa non sunt, quæ quamvis speciali nomine in jure destituantur, quoniam tamen in oppositione ad patrem prærogativæ quædam rectè dicuntur, licebit etiam ea Matrum jus appellare, quemadmodum etiam privilegia illa paterna in oppositione ad matrem Patrium jus dicuntur. *l. 18. §. 1. C. de l. delib.*

5. Inter has autem prærogativas principem locum merentur duæ istæ, I. quod matri sine nullitatis vitio liceat in testamento præterire liberos; & quod II. filii persona cum matre non censeatur eadem; de quibus ergo postquam priori loco aliquid dixerimus, tum deinde alia quædam matris favorabilia jura percurremus, cætera, quæ eius conditionem faciunt deteriore, modo missa facimus.

6. Et primo quidem quod testamentum matris, in quo liberi sunt præteriti, nullitati non subiaceat, prærogativam esse specialem quæ patri liberos in potestate habenti minimè competit, convenit inter omnes, & apparet hoc satis ex collatione *§. ult. cum pr. Inst. de exh. lib.* sed effectus considerandus venit.

7. De antiquo jure ante *Nov. 115* in eo versatur effectus, quod adversus eum, qui ex testamento patri, in quo filiusfamilias est præteritus, ut hætenus nullo hereditatem possidet, detur petitio hereditatis, quæ non extinguitur nisi XXX. annorum lapsu, contra vero eum, qui ex testamento matris hereditatem possidet, detur quidem aliqua hereditatis petitio, sed quæ à priori multis modis est diversa *l. 6. §. 1. l. 1. C. de inof. T.* quæq; speciali nomine vel querela, *d. l. 6. inf. vel actio, l. 7. eod.* vel etiam accusatio inofficiosi testamenti dicitur, *l. 2. 7. pr. d. t.* & intra quinquennium ab adita hereditate computandum intentanda. *l. 8. §. fin. l. 9. D. l. 34. inf. l. 36. §. 2. C. d. t.* Nam quod post *Gloss. & Bart.* docent. *DD. Comm. in l. 20. de inof. T.* esse duo judicia, cum de inofficioso testamento agitur, rescindens nempe & rescissorium, & querelam inofficiosi esse præparatoriam petitionis here-



hereditatis; sicuti actio ad exhibendum rei vindicationis, id à  
veritate quàm maximè est alienum: Rescinditur testamentum  
per querelam, & simul etiam vindicatur hereditas; sicuti actio  
Pauliana est rescissoria alienationis; actio ex edicto *ex quib.*  
*caus. mai.* rescissoria usucapionis, & tamen utraque simul rei  
vindicatione. *vid. l. 1. C. de inof. test. l. 24. C. eod. l. 20. 21. in fin. D. eod.*  
atque ita superflua alioquin non vera est disputatio ista, quod  
simplex hereditatis petitio in eodem libello cum inofficiosi  
querela cumulari possit *Ias. in d. l. 1. n. 1.*

8. De novo jure *post N. 115. c. 3.* permanfit equidem prior  
ille effectus in lapsu temporis, sed alius major insuper est addi-  
tus, ut scilicet: quâ ratione testamentum patris propter defectû  
requisitorum exheredationis per querelam rescissum, pro parte  
ut eo legata, & fideicommissa peti possint, sustinetur; eadem etiam  
testamentum matris, sive in eo exheredatio, sive præteritio se-  
cundum requisita *d. c. 3.* ritè facta non sit; patris vero testamen-  
tum, in quo ille filium suum præterit, ab initio totum nullum  
sit: prout secundum litteram sententia ipsius est Justiniani.  
Præteritio matris confertur cum exheredatione patris, non  
contra confertur præteritio patris cum exheredatione matris,  
& novo, & veteri jure.

9. Dissentiunt à thesi duplici ratione DD. quidam sta-  
tuentes in casu deficientium requisitorum, *d. c. 3.* quia contra  
LL. sit testamentum, cessante hæctenus querelâ, esse omnino  
nullum *Bart. Ias. Schneid. Wes. & c.* Alii verò d. novellam de pa-  
tris præteritione explicantes; *Donell. Duar. Hun.*

10. Priores confutantur ex aperto textu, *d. c. 3. in fin. ibi:*  
*evacuato & c. 4. in f. ibi: rescisso addita N. 129. c. 3.* & perstrinxit  
eos præterea noviter luculenta satis disputatione Nobiliss. at-  
que Ampliss. Antecessor, & Facultatis Juridicæ in hac Acade-  
mia Senior, Doctor meus venerandus, D. Joh. Rebhan, in *παρά-  
λιπομεν.* Meierianis, ut mihi ea propter diutius hac in re labora-  
re non sit opus.

11. Contra vero posteriores hosce ex textu ita colligo:  
Justinianus voluit à testamentorum iniuria liberos reddere tu-  
tos: *d. N. c. 5.* jam vero liberis non infertur iniuria per præteri-  
tionem patris, cum testamentum nullum sit; sequitur igitur



de matris præteritione *d. N.* intelligendum esse. Vel ita: Justinianus *in pr. d. c. 3.* non vult licere quod olim licuit: at ante *d. N.* salvo Testamento patri non licuit præterire liberos; E. nec de patris præteritione loquitur.

12. Sed quid si sine solemnitatibus, inter liberos testamentum pater fecerit, atque filium suum præterierit, an adhuc idem dicendum erit? Respondet Accursius *in aurb. novissima C. de inof. test.* servandam esse patris voluntatem. Ego hic amplius deliberandum censeo, an non relaxatio illa solemnitatum in parentum testamentis, de iis tantum intelligenda sit, quæ sine iniuria liberorum omitti possunt; ut v. g. de VII. testibus, subscriptione, obfignatione, & similibus; ne constitutio illa in favorem liberorum introducta, in eorum odium redeat. *ad. Fach. 4. contr. 24.*

13. De Prætorio jure an idem dicendum sit videamus; Et hoc jure nullum esse docet *l. 1. §. ult. l. 2. junct. rub. si tab. test. null. ext.* cui gravissimè obstat. §. 12. *1. de success. ab int.* Respondeo totum hoc negotium Prætorum conferre voluisse in filii voluntatem, ut si religiosus esse vellet, parentis judicium expressum illibatum relinquere possit; si nollet, ab intestato etiam viam ad hereditatem haberet. Bonorum possessio contra tabulas filio emancipato erat necessaria, sed filiofamilias tamen nec inutilis. Prætor cum per bonorum possessiones necessariò aliquibus consulere debuerit, aliis insuper etiam, quibus eæ non ita pridem erant necessariae, consulere voluit, ut etiam eorum curam habuisse videretur. *ut l. 3. §. 1. naut. caup. stab. vide insuper l. 2. & 5. C. unde leg.*

14. Quænam autem illa sit ratio, quare à matre præteritus non admittatur potius per eandem bonor. poss. contra lignum, sicut emancipatus à patre præteritus, sed per hoc ultimum querelæ adjutorium, quo furoris & dementiæ mater insimulatur, *l. 2. de inof. test.* necesse habeat venire ad hereditatem? repetendum est *ex l. 23. d. 1.* scilicet: matris præteritio pro exheredatione habetur: patris præteritio in filio emancipato non ita: Jus Civ. cum matri liberos præterire permisit, simul etiã effecit; ut præteritio ista pro exheredatione esset, quod in emancipati præteritione prætermisit. *vid. §. 3. 1. de exh. lib. Bonor. poss. contra*



tra tabulas datur iis tantum, qui sui heredes futuri erant, nisi ex P.P. exivissent; tales autem non erant futuri liberi matris. Hanc ipsam vero b. p. contr. tabulas hodie dum esse necessariam neque §. 3. l. de exh. lib. per §. 5. l. eod. correctum esse verius est; quiquid etiam contra disputent DD. Comm.

15. Tantum de priori prærogativa: altera deducitur ex eo, quod vigore P.P. filius cum patris persona censentur eadem; §. 4. l. de inut. stip. quamvis etenim hoc ipso summum illud patri tribuatur privilegium, ut ei per filium omnia acquirantur, pr. l. per quas pers. nobis acq. junct. d. §. 4. cum tamen ex opposito stet moralis lex, jubeatque eum sequi gravamen, quem pænes & lucrum est, l. un. §. 4. C. de caduc. toll. non minus etiam aggravatur, & fit deterior eiusdem conditio, quando ex contractu filii in se datur actio; & ex diverso, cum legis illa moralis ratio in matre cesset, atque ita in eius persona conservetur jus commune, melior est ipsius quam patris conditio hæctenus: vid. l. 4. G. ne ux. pro mar. melior inquã, nec tamen patris eò deterior, quinimo in his ipsis actionibus adhuc melior, quam regulariter aliorum, quos contra actiones dantur, quippe quod non teneatur ultra quam sit in peculio, l. 44. de pec. non ultra annum quando peculium illud extinctum est.

16. De Veteri jure res caret dubio; r. r. quand. de pec. act. est annal. sed an novo idem dicendum sit quæritur? dicit nonnemo hoc correctum esse, & patrem perpetuo conveniri posse, cum post N. 118. non jure peculii, sed ut heres bona accipiat: Ego didici: Castrensia bona, de quibus filiusfamilias solus convenitur, ut paterfamilias, jure peculii olim occupata duntaxat, l. 2. de cast. pec. profectitia de quibus pater etiam convenitur, nunquam. In castrensibus speciale est: quod filiusf. vivat tanquam paterf. moriatur ut filiusfamilias, si testatus non sit. Cuj. par. C. de bon. mat.

17. Porro quo clarius elucescat, qualisnam illa sit in hoc passu melior matris conditio, ita statuo: Inter matrem, & filium contractus, posse obligationem, esse etiam actionem: inter patrem & filiumfam. nunquam. Filius matri, mater filio obligari potest.

18. Istâ



18. Istâ ratione plenius, & melius matri, hac e converso patri constituitur: matri inquam, eadem ratione & novo, & veteri jure; cum utroque & filium, & patrem convenire possit, non secus ac alius quilibet extraneus: Patri vero diversâ; quippe cui olim per filium quævis quæsitâ indistinctè, & omnimodo acquirerentur; hodiè vero quæ à matre proveniunt, quo ad usumfructum duntaxat: *l. 1. C. de bon. mater.* & ne illa quidem quò ad usumfructum, nisi hoc matri concedenti ita placuerit. *auth. excipitur C. de bon. qua lib.*

19. Quod postquam à Justiniano novissimè introductum, N. 117. c. 1. simul etiam factum est, ut I. quidam P. P. effectus à placito matris dependere ceperit, & prout illa voluerit, modo operari, modo operari non possit. II. ut quæ alias nunquã esse poterat matris in filiumfam. donatio, eò quod à patre acquisita, caderet in speciem prohibita donationis inter virum, & uxorem; *l. 3. §. 4. add. l. 58. de don. int. vir. & ux.* hodie dum esse possit; & ut III. secundum quosdam filiusfamilias quâ talis, quandoque testamentum facere possit. *per d. N. 117. c. 1. de cuius veritate ego nunc non disputo.*

20. Sed illud quæro, cum maximè favorabilia jura constituentur patri vigore P. P. annon illo casu, cum ex indulgentia Principis adoptant fœminæ, §. 10. *I. de adopt.* priori patris similem potestatem consequantur? Respondet Vulteius *l. 1. R. c. 17. n. 8. & 9.* consequi: Mihi Vultei sententia non probatur: nã si in solatium liberorum adoptio matri à Principe conceditur, sunt illi adoptati in amissorum locum subrogati, si subrogati sapiunt quoq; naturam eorum in quorum locum subrogantur, & consequenter nec in potestate erunt eius in cuius potestate priores non fuerunt; *ad l. 5. C. de adopt.* quamvis illud non eam inficias quod si privilegio materna origo censeatur, liberos ex ea natos, eiusdem originis esse municipes, quemadmodum hoc Iliensibus, Lyciis, Xantiis, Delphis, etiam Ponticis ex beneficio Pompei Magni concessum legimus *l. 1. ubi Goth. D. ad municipal.*

21. Hoc beneficium ad solos vulgò quæsitos pertinere quidam putant: sed horum sententiam Celsus non probat. *d. l. 1. inf.*

22. Sed si mater nobilis, pater ignobilis, qualis erit filius?



lius? erit ignobilis, sed qui ab avo materno adoptatus utpote in  
ascendentis familiam transiens, §. 2. l. pen. C. de adopt. nobilis  
fieri possit: Tr. 2. d. 15. sb. §. lit. c. quod sanè jus non est exiguum,  
utpotè ex matris persona originem trahens: quanquam inver-  
so casu, in persona patris hæc res adminiculo non egeat. Apud  
Campanos Gallia extat consuetudo *le ventre ennoblit* de qua  
Bodinus alibi.

23. Hucusque de priore dissertationis nostræ parte; su-  
perest ut nunc visum eamus alia quædam matris favorabilia  
jura.

24. Reperiuntur autem ea adhuc in triplici differentia,  
vel enim sunt matri cum patre communia, & respectu aliorum  
specialia: vel cum aliis communia, & respectu patris specialia;  
vel specialia ratione utrorumque.

25. Quò ad prius membrum, fundantur ea maiore ex  
parte in obsequio, pietate, honore, & reverentia, quæ cum pa-  
rentibus æqualiter debeantur, l. 4. de curat. furios. inter illos eti-  
am hæctenus æquale, sed aliorum respectu jus favorabile con-  
stituunt: fundantur inquam maiori ex parte, sed non omnia.

26. Priorum exempla, quatenus ea à J. C. ex necessitate  
exiguntur, constitui possunt hæc: quod non liceat tam matrem  
quam patrem sine Prætoris venia in jus vocare: l. 6. de in jus voc.  
non contra eam de dolo agere: l. 5. C. de dol. non ultra quam fa-  
cere possit convenire: l. 5. de obseq. par. & patr. non accusare: l.  
5. C. ad L. Corn. de fals. non petere adversus eam restitutionem in  
integrum: l. 2. C. qui & adv. quos & si quæ sint alia.

27. Annumerant quidem nonnulli his ipsis necessitatem  
materni consensus in contrahendis nuptiis; Carpz. de jur. sœm.  
dec. 2. pos. 8. Verum rectius alii hoc ad L. Divinam, non Ro-  
manorum pertinere adverterunt. DD. in pr. per illum text. l. de  
nupt. l. 2. D. eod. Sit illa instar consilii, hæc vero lex permissiva;  
hæc non imperans, illa tamen ad hoc dirigens: adde Goth. in l.  
25. de rit. nupt. idque præfertim post recess. Imp. Ann. 1548. Au-  
gusta Vindel. habitum tir. Vom Sacrament der Ehe. §. Darumb  
dieweil / [ubi tamen pro verbo ungehorsam legendum gehorsam  
prout eleganter observavit, & aliquando oretenus ex antiquis  
huius Bibliothecæ codicibus probatum dedit Amplifs. idemque  
nobis



nobis colendis. D.D. Rebban. & in hodegeta jur. charta 2. climat. 4. paralel. t. in exeg. th. 13. in fin.] ex quo propter defectum tam paterni, quam materni consensus, neque matrimonium, neque sponsalia dissolvuntur; quamvis quoad sponsalia, dum ea in plerisque Principum consistoriis pro clandestinis judicantur, hodiè aliud observetur. Schneidw. 1. de nupt. n. 38. Quò ad matrimonium, prior L. Civilis Romanorum, moribus nostris non est mutata, quamvis ea imperfecta sit: quippe quæ iniussu patris vetet nuptias contrahi, iniustasque cum uxore, & liberis censet, neque tamen dissolvat, ut Cuiac. notat 3. O. 5.

28. Idem Cui. 10. O. 10. scribit: In vocatione in jus sine Pratoris venia nullum hodiè amplius parentibus competere privilegium, cum nemo sine Pratoris venia in jus vocari, seu quod idem est citari possit: Rectius dicemus hic duplici veniæ impetratione opus esse, una ex Jure Communi, altera ex privilegio, pro intentanda actione vid. l. 12. § 12. de in ius voc. adde l. 5. de obs. par. & patr. quamvis hæc in unico libello supplici peti, & uno decreto decerni possint.

29. Posterioris membri exemplum peti potest ex l. 8. C. de revoc. donat. de revocatione donationis propter supervenientiam liberorum; hanc enim tam matri quam patri, non ei duntaxat qui quæve patronus est, concessam esse defendam cum Cuj. 20. O. 5. contra Hot. Donel. & Corraf.

30. Potest huic superaddi aliud ex nova Justiniani constitutione in l. 9. C. de imp. & al. subst. quâ humanitatis intuitu utriusque sexus parentibus indultum est, ut ad exemplum pupillaris substitutionis, liberis suis etiam puberibus, mente captis, furiosis, adeoque etiam prodigis si quos hi habeant descendentes, aut fratres, illos debeant, aut his deficientibus quoscunque velint, substituere possint:

31. Nam quamvis Vultei. ad pr. 1. de subst. n. 5. hanc quasi pupillarem matri non esse concedendam statuat, ideo: quod ea ad exemplum pupillaris, cuius mater expers est, introducta sit; tamen omninò frustra est; hac enim eadem ratione idem inferet: non esse opus ut habeatur l. ratio descendantium, & deinde fratrum; quinimo eadem manu subvertet nobis Vulteius totam naturam huius beneficii. vid. infr. th. 43. & insuper text.



*text. d. l. 9. ibi: qui, vel qua. ibi: testatori vel testatrici. adde D. D. Rehb. in hoc jur. ch. 2. cl. 2. paral. 2. th. 39.*

32. Quid autem causæ sit, quare non, quâ ratione quasi pupillariter substituere potest, eadem etiam pupillariter substituere mater possit; videamus:

33. Lancellot. Polit. *in tr. parad. de subst. in mater. exempl. n. 2.* ex eo rationem quærit, quod angustioribus, quam pupillaribus, utputa in qua quascunque, in hac non nisi nominatas secundum ordinem ab Imperatore personas substituere liceat, ea concessa sit.

34. Rayner. de Forlyv. quam sequitur Jason. *in l. 43. de V. & P. n. 24.* ait in casu perpetui furoris maius periculum quam in pupillari ætate, cuius tempus sit brevissimum, versari; adeoque eò melius, & securius Imperatorem furiosis providere debuisse.

35. Duar. *in Comm. ad rit. de V. & P.* putat Justinianum, utpote cuius maior fuerit auctoritas, illud quod J. C. t. ausi non fuerint statuere debuisse:

36. Quod si his jam addas fundamentum pupillaris substitutionis esse patriam P. quasi vero pupillaris humanitatem, atque affectionem, quæ ab utroque parente in liberos æqualis sit *l. 4. C. de lib. præter.* erit res explicatu non adeo difficilis.

37. Sed ulterius: cum in exemplari isthac substitutione non possint nisi certæ quædam personæ substitui, quomodo illud, quod ait Imperator: ex descendentes, vel fratribus licere *unum, vel certos, vel omnes* substituere; intelligendum erit? Si enim vel unum, vel certos tantum licet substituere; habebunt vel ceteri querelam, aut falsum erit quod in §. 1. *l. de exh. lib.* scriptum est, & querelam tamen non concedit Imperator: hic Rhodus hic Saltus.

38. Lorientus, *de subst. ax. 74* eumque sequutus Petr. Heig. *ad §. 1. l. de pup. subst. n. 6. & seq.* aiunt Justinianum *in d. l. 9.* loqui de filia, eiusque descendentes, *ibi: si filia*, quam instituere; aut exheredare necesse non fuerit, nisi post *l. 4. C. de lib. præter.* per quam hæc constitutio proinde corrigatur: non rectè; cum in præcedentibus Imperator de filiis loquatur: *ibi: filius filia, nepos neptis.*

39. Iohannes Faber ita substituendum dicit: ut ceteri  
B 2 habeant



habeant legitimam. Sed si jam insuper quæras, quâ ratione id fieri possit; respondebit cum Accurs. esse in re certa institutos: at quis est nescius: in certa re institutos, si coheres adeat, legatoriorum loco esse; *vid. in dissert. mea de acquisit. decurs. & de volunt. c. 1. th. 11. §. 2.* aut si heredis loco habendi sint, cum ad supplementum actionem habeant, quis non videt plures jam institutos esse?

40. Aliter itaq; Vigl. Zuich. *ad §. 1. 1. de Vulg. & pup.* avum inquit, quia furioso filio tantum necesse habeat relinquere legitimam, præsumi tantum relicturum nepotibus, ut conquerendi causam non habeant; Verum potest quidem hoc avus, sed (quo de casu nos quærimus) si nolit avitam pietatem ducem sequi, an locum non habebit constitutio? hoc probandum erat Viglio.

41. Igitur Donell. *6. Comm. 27.* ex beneficio huius constitutionis impunè liberos præteriri statuit: verum ut cum Bach. *2. d. 11. th. 10. e.* fatear, iniquitatem video; sed quid ad verba constitutionis, unius substitutionem probantia, & tamen ceteris querelam denegantia respondendum sit, non habeo.

42. Quid si dicas imperitia amanuensium ex posteriori versu: *sin vero*, ubi de fratribus sermo est, hæc verba *unum, vel certos* in priorem legis partem, ubi de descendantibus agitur irrepsisse? sed & hoc fortè est manum medicam adhibere, & nodum Gordium secare potius quam solvere.

43. Ego hic amplius diem diffindi jubeo: Donelli tamen sententiam *vel gloss. ad d. 1. 9.* eousque defendam, donec rectius fuero edoctus, *adde Hillig. ib. lit. m.*

44. Atque his ita ad dilucidationem obscurissimæ constitutionis præmissis, quaritur: si uterque tam mater quam pater substituerint cuius substitutio prævaleat? Placet opinio Bart. *in l. § 3. de Vulg.* ut in paternis bonis paternus, in maternis maternus, in aliis bonis, si *filiofamilias* datus sit, substitutus paternus præferatur; si contra *filio* datus sit, per concursum pares fiant. *1. as. Zas. & Dd. comm. in d. 1. & c.*

45. Possset & huic loco apponi aliud privilegium *ex l. 1. §. 1. de appel. recip.* quâ pietatis intuitu matri pro filio appellationem interponere est concessum: non tamen ea ratione, quasi hoc



hoc cum patre tantum commune sit, sed quod respectu cætera-  
rum fœminarum hoc in casu prærogativa mater polleat &c.

46. Quod nunc secundum membrum attinet; possunt  
eius exempla induas iterum dispesci classes: vel ut cum aliis fœ-  
minis tantum, vel ut non tantum cum fœminis, sed cum quibus-  
libet sunt communia, & respectu patris specialia.

47. Ad priorem classem referri possunt sequentia: Be-  
neficium SC. Vellejani *de quo r. t. D. & C. ad SC. Vellei.* privile-  
gium prælationis: *ex l. 12. C. quid pot. in pig.* privilegium primæ  
instantiæ: *ex l. un. quand. Imper.* mitigationes pœnarum: & si quæ  
sunt similia.

48. Ad posteriorem classem pertinent ista duo: I. quod  
mater non sicut pater teneatur alere, & quod II. non teneatur  
dotare liberos; utrumque commune cum quolibet extraneo,  
quamvis non semper, sed eousque, donec pater inopiâ digno-  
scitur laborare.

49. De priori est textus satis clarus, *in N. 117. c. 7.* ut hoc  
omnem dubitationem effugiat; sed de hoc dubitatur: si præsti-  
tit alimenta an repetat? & D. Marcus rescripsit: quod si contra  
patrem agat, vel heredes eius, cum modo, prout hoc judici æ-  
quum videbitur, audiendam: *l. 5. §. 15. de agn. & alend.* quod si  
ex diverso, contra filios agat, tum videndum: an filii bona ad-  
ministravit, an secus: isto casu censetur ex fructibus potius,  
quam ex suo alere voluisse: *l. 34. de neg. gest.* hoc vero casu, quæ  
impendit, reddi sibi iniusta ratione postulat; cum exigente ma-  
terna pietate fecerit. *l. 11. C. de neg. gest.* Quanquam hæc tacita  
pietatis præsumptio, per expressam contrariæ voluntatis decla-  
rationem elidatur: ut cum v. c. in ipso alimentacionis actu de  
hoc protestata est, vel impensas in librum rationum retulit. *d. l.*  
*34. plura vide apud Menoch. de arb. jud. qq. cas. 88.*

50. Quid si pro lactatione nutrici solverit, an cessat re-  
petitio? Cessat tam contra patrem, quam liberos; quia ipsa in-  
tra triennium ad lactandum tenetur, ut statuunt DD. Com. *in l.*  
*pen. C. de P. P. vide Tyraq. de nobilit. c. 20. n. 75.* Dicunt alii patris  
sumptibus, argumento *l. 5. de Vent. in poss. mi. r.* Verum nulla inde  
consequentia est. Mulier prægnas ventris nomine in possessio-  
nem missa, ea sola, sine quibus fœtus sustineri. & ad partum usq;  
produci possit, sumere ex bonis, non ultra debet, *l. 1. §. 19. d. 1. favo-*  
*rabiliorq; est causa partus, quam pueri.*

51. Fin-



51. Finge intra triennium mammâ depulso, respondet ex Baldo Bertrach. mater tenetur alere filium intra triennium, non tantum de lacte, sed & de aliis rebus, puta de castaneis, & similibus: Verum mihi contrarium verius videtur, argumento ducto à ratione legis cessante. &c.

52. Cæterum ex eo, quod pater teneatur alere liberos, alia iterum matri surgit prærogativa: ut scilicet viro ante editum partum vitâ functo, ea de alimentis suo corpori quærendis sollicita esse opus non habeat; quippe quæ petitâ bonorum possessione ventris nomine ali usque post editum partum debeat. *l. 1. si ventr. nom.*

53. Si ad vetus jus respicias; erat hæc prærogativa non semper perpetua; sed cum postumus exheredari posset, dependebat hæc voluntate patris, ita: ut si ille voluisset, atque postumum non exheredasset, ea duntaxat haberet locum. *l. 1. §. 2. de Vent. in poss.*

54. Verum postquam determinatis à Justiniano exheredationis causis *Nov. 115 c. 3.* exheredare postumum pater non potest ut volunt DD. Com. post Accurs. *Harp. in § 1. I. de exh. lib.* simul etiam factum est hoc privilegium matri semper perpetuum, ita quidem: ut etiam si abortum fecerit, tamen quæ alimenta ventris nomine accepit, reddere non teneatur: *d. l. §. 4.* quinimò ulterius, si divortio facto prægnatè esse viro patri mater denunciaverit, atque is, vel non contra denunciaverit, vel custodes non præmiserit, ab alimentorum onere tuta, quamvis nec is cui denunciavit partus pater sit. *l. 1. §. 4. de agn. & al.*

55. De altero exemplo est ratione matris *l. 14. C. de jur. dot. ratione patris. l. ult. C. de dot. promiss.* Pater regulariter tenetur dotare filiam, mater non nisi in subsidium.

56. Dico regulariter, sed excipitur tamen filia turpiter vivens, *l. 19. C. de inof. test.* intra annum xxv. sine consensu patris nubens, *auth. si. post. C. eod.* item hæretica, *l. 19. C. de hæret.* & denique omnis, in quam cadere potest iusta exheredationis causa *in Nov. 115. c. 3. expressa*, cum regulare sit, quod quotiescunque non est opus relinquere legitimam, toties etiam nulla sit dotandi necessitas. *arg. l. 29. C. de inof. T.*

57. Excipiunt insuper DD. casus sequentes; quando filia est locuples, 2. quando absq; dote nuptias contraxit, 3. quando



do emancipata, & denique cum spuria est: primus, secundus, & tertius, nullo ex textu probantur; ultimus probatur quidem ex ratione I. C. arg. §. pen. l. de nupt. sed non Canonici. vid. c. cum haberet X. de eo qui dux. in matr. quam poll.

58. Præter igitur priores exceptiones pater filias dotare tenetur; quinimò etiam iudicis officio compellitur: vid. Fach. 19. c. 78. mater non nisi in subsidium, seu ut d. l. 14. loquitur ex magna & probabili causa, qualem intelligimus inopiam patris, cum Bart. Bald. Cyno.

59. Addidit in eadem lege Tribonianus exceptionem alteram in fine, *ibi vel lege specialitur expressa*, aliò respiciens ad l. 19. C. de her. prout rectè observavit Obrecht. *disp. de dot. th. 220.*

60. De ultimo membro nunc videamus: ubi exempli loco offert sese tutela materna, quæ non tantum respectu cæterarum fœminarum, sed & respectu ipsius patris verè est singularis: Respectu fœminarum quidem, quoniam eæ tutores esse non possunt. l. 1. C. quando mul. tut. of. Respectu vero patris ideo, quod ille, quamvis sit tutor, *ein natürlicher Vormund* / in jure tamen nunquam ita appelletur, nisi jure veteri, quando emancipatorum tutelam consequebatur, non tanquam pater, sed velut patronus, vel manumissor. t. r. l. de legit. par. tut. vel aliis etiam de causis, quæ peti possunt ex Cui. 14. O. 8.

61. In hac tutela ita jus erat: olim sola mater eam impetrare poterat, quando cessabat tutela testamentaria, & legitima, sed ne tum quidem admittebatur, quam illa mediante sacramento secundis nuptiis prius renunciasset. l. 2. C. quand. mul. tut. of.

62. Verum Justinianus eam *Matri, & Avia*, sed solis, non impetratam lege detulit, postpositâ etiam legitimâ tutelâ, sed non testamentaria: insuper etiam jusiurandum non requisivit, sed apud gesta, i. e. acta secundis nuptiis. SC. Velleiano, & aliis LL. auxiliis renunciari voluit. Nov. 118. c. 5.

63. Ex quibus jam illud necessariò fluit, & extra est controversiam, quod per secundas nuptias hæc tutela amittatur: sed illud controversum est, si mater secundo nuptura tutelam deposuerit, & deinde non nubens eandem repetat, an consequatur? Affirmat rectè Communis Schola, per Nov. 72. c. 2. in fin. ad l. 1. quod quisq; jur. quamvis reclamet post Baldum Tyraquel.

64. Sed



64. Sed quid si secundo nupserit, eoque mortuo tutelam iterum ambiat? responsum est in Camera eam non admitti: *Mynf. 3. O. 83. quod rationi juris satis congruit. arg. l. 21. de stat. hom.*

65. An autem illa administratio matris tutricis extendat se etiam ad bona feudalia, inter DD. non satis convenit? Quidam in feudis maioribus negant, in minoribus aiunt: Diversi ab his non aliter, quam cum proximo adgnato matrem admittunt; & deniq; alii indistincte: quorum sententia vera est: idq; post Reform. Polic. à Carolo V. PP. *Augustæ Vindel. Ann. 1548. tit. Von der Pupillen und minderjährigen Vormunder / & Francofurti Ann. 1577. eod. tit.* Exclusus à successione non intelligitur exclusus à tutela voluntaria; dixerunt eleganter veteres Ultramontani.

66. Cæterum est in hac tutela matris hoc singularissimum, quod in eius delatione successionis ordo non observetur, quippe quod mater defuncti quidem cognatos à successione non excludat, sed à tutela tamen removeat. *d. Nov. 118. c. 5. ibi quoad tutelam.*

67. Addunt præterea DD. quod non sicut alii tutores mater teneatur cavere; non inventarium facere; nec etiam rationes reddere; idque *vel arg. auth. relictum C. de indict. vid. vel* ideo quod pater ad ea non teneatur, *arg. l. 6. C. de bon. mater. eademque matri debeatur reverentia; Verum hæc tanti non sunt, ut mihi persuadere hoc possint; vid. rub. Nov. 155. & d. reform. Polic. §. 2. ibi: Daß ein jedweder / &c.* Illud tamen statuendum erit, hanc tutelam matri lege delatam testamento patris simpliciter adimi non posse; *arg. l. 11. de R. I. licet contra responderit Menoch. conf. 682.*

68. Hucusque de priori exemplo: lubet insuper ulterioris disquisitionis, & exercitii gratia illud etiam ex comm. DD. sententia huc referre quod mater non excludatur per tacitam pupillarem substitutionem: exemplum inquam prærogativæ tam respectu patris, quam respectu aliorum maximè singularis. Fundamentum pono in *l. 8. C. de impub. subst. cui addo Cuiat. meum 12. O. 27. Dissentientium arg. refellit Fach 4. corr. 50.*

Atque his quamvis plura sint quæ addi possint, mihi tamen hoc tempore ea latius examinare non adeo licet, nec liber; finem facio, & in cuius nomine orsus sum desino, festinantiq; calamo veniam posco.

L A V S D E O.



ULB Halle  
006 682 197

3



VDM











...umque jubeat,  
MAX.

*XLIV*

**JVRE,**

**GRALES** *1661, 2*

**THORITATE**  
**OBILISSIMI,**  
**IMI**  
gentoratenfis.

**IN VTROQUE,**  
**TIFICIO IVRE**  
**ORALIBVS**

*Submittit*

**LTZBRINCK,**  
Altenanus.

*L. May*



**ATI,**  
**IVS HAVG,**  
**LXI,**

*6.*

